

jungere, quæ ipsi pœnitentes efflere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus et singulis Christianidelibus utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis secularibus, et regularibus cujusvis ordinis, congregationis et instituti, tam in urbe præfata quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium tam sæcularem quam cujusvis ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, vel aliis ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive nobis, et Sedis Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, et alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocunque reservatis in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere et liberare valeant; insuper vota quæcunque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus et quibuscunque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, et aliis ecclesiarum prælatis, ac quibuscunque ordinariis locorum ubicunque existentibus, eorumque vicariis, et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias, et dioceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentibus iis qui a nobis, et apostolica Sede, vel ab aliquo prælato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententiis et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, præsertim quibus facultas absolviendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles

indulgentiarum et facultatum hujusmodi concessionibus, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcunque ordinum, et congregationum, sive institutorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis eisdem ordinibus, congregationibus, et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem præsentibus nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum et gentium, eadem prorsus fides habeatur quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 11 sept. 1758, pontificatus nostri anno primo.

D. CARD. PASSIONÆUS.

ARTICULUS II.

Jubilæum quoad ea que concernunt confessarium jubileum.

SUMMARIUM.

1. In Jubilæis extraordinariis conceditur facultas eligendi confessarium. — 2. Regulares an possint tali facultate gaudere. Ad n. 4. — 3. Confessarius eligendus a quo approbatus esse debeat. Ad n. 7. — 4. Moniales tempore Jubilæi qualem confessarium eligere possint? Ad n. 12. — 5. Confessarius approbatus pro solis viris non potest eligi a mulieribus; neque eligi potest confessarius complex peccati, nec excommunicatus, suspensus, et irregularis, extra casum necessitatis. Ad n. 15. — 6. Confessarius vi Jubilæi electis concessi solet quadruplex facultas, quæ assignatur. — 7. Confessarius jubilaris a quibus peccatis et censuris absolvere possit. Ad n. 24. — 8. Item Jubilæum ad duas hebdomadas concessum an possit bis obtineri? Ad n. 26. — 9. Quid si aliquis tempore Jubilæi inculpabiliter omitteret in confessione peccatum reservatum, vel in vincibili defectu doloris aut propositi, sit invalide absolutus. Ad n. 28. — 10. Per confessionem sacrilegam malitiose nullam an tolli possit reservatio? — 11. Quid si aliquis absolvatur animo adimplendi omnia, et postea non adimpleat? Ad n. 31. — 12. Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœnitenti, an et a quibus peccatis reservatis possit ipsum absolvere, transacto Jubilæo? Ad n. 35. — 13. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ, quibus vota vel reservationes possit commutare, vel non? Ad n. 49. — 14. Vota a confessario Jubilæi con-

mutata reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera injuncta pro Jubilæo lucrando. — 51. Votum commutatio an obtineri possit post tempus Jubilæi? Ad n. 52. — 53. Confessarius jubilaris, an, et in quæ alia potest opera præscripta commutare? Ad n. 57. — 58. Ad legitimam operum commutationem quale impedimentum sufficiat. Ad n. 59. — 60. Quadruplex assignata facultas confessario jubilaris concessa an exerceri debeat intra vel extra sacramentum confessionis. Ad n. 72.

(1. In Jubilæis extraordinariis duarum hebdomadarum conceditur cuilibet sæculari facultas eligendi confessarium ab ordinario loci approbatum. *Communis*, et patet ex bullis pro talibus Jubilæis edi solitis. (2. Etiam regulares possunt tempore Jubilæi sine licentia suorum superiorum sibi eligere confessarium quemlibet, sive sæcularem, sive regularem, ex approbatis ab ordinario loci: Navarrus, Suarez, Filliuc. dicens sic esse declaratum a sacra congregatione; Bossius, Diana, Bordon., Lugo, Gobat dicens esse rescriptum Roma, ut stetur verbis bullæ; Bellegambe part. III, sect. 6, q. 1, cum La Croix lib. VI, part. III, num. 1464; Felix Potestas tom. I, part. II, num. 1429; Tamburini. tom. II, pag. 37, n. 40, et sic etiam plures alii. Et de facto verba bullæ non solum dant potestatem « omnibus et singulis regularibus cujusvis ordinis, congregationis, et instituti eligendi sibi confessarium quemlibet tam sæcularem quam regularem, qui ab omnibus casibus absolvat, » etc.; sed etiam hanc potestatem concedunt; « non obstantibus quibuscunque privilegiis iisdem ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset. »

(3. Nec obstant constitutiones aliquæ Summorum Pontificum, et signanter Urbani VIII constitut. Incip. *In specula*, 19 Jun. 1630, declarantes, et respective declarans « Bullam Cruciatæ, et alia indulta hujusmodi regularibus et monialibus non suffragari quantum ad illum articulum eligendi confessarium independentem a suis superioribus. » Non obstat, inquam, quia ultra quam quod, ut notat Felix Potestas loc. cit., num. 1429, et alii, declaratio contraria Pontificum est expresse edita pro bulla Cruciatæ, minime pro Jubilæo, recte insuper advertit card. de Lugo disp. 20, de Pœnitentia, num. 189, diversis formulis, et efficacioribus revocari privilegia regularium in bulla Jubilæi, quam in bulla Cruciatæ. Unde quamvis regulares non possint vi bullæ Cruciatæ eligere confessarium sine licentia suorum superiorum, eo quod privilegium concessum regularibus, quod non possint eligere confessarium extraneum, non sit revocatum per bullam Cruciatæ, possunt tamen talem confessarium eligere vi Jubilæi, eo quod per ejus bullam censeatur revocatum supradictum privilegium, ut patet ex supra adductis verbis in bulla Jubilæi apponi solitis: « non obstantibus quibuscunque privilegiis iisdem ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset. » Et ratio cur non sit revocatum supradictum privilegium per bullam Cruciatæ, bene vero per

bullam Jubilæi, est quia bulla seu indultum Cruciatæ est permanens, et ideo religionibus obsesset; bulla vero seu indultum Jubilæi est transiens, favens omnibus, nulli nocens; ideoque sæpe Pontifices declararunt vi bullæ Cruciatæ se noluisse revocare privilegia religionum; secus vero vi bullæ Jubilæi. Quod præsertim constat ex declaratione Gregor. XIII, apud Rodriguez relata a Pasqualigo de Jubilæo, qu. 206, his verbis: « Congregatio pro majori parte sensit pro negativa sententia (videlicet, quod non possint confessarium extra religionem regulares eligere); dixit tamen dubium esse referendum Sanctissimo Domino, qui postea die 19 decembris 1581, in consistorio respondit: Tempore Jubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sacerdotibus etiam sæcularibus approbatis ad confessiones. Nam in bulla non fit mentio, nisi de ordinario eorum qui audituri sunt confessiones, non de ordinario pœnitentis. » (4. Imo nedum possunt regulares tempore Jubilæi confiteri cuicumque confessario approbato ab ordinario loci, tam sæculari quam cujusvis ordinis regulari, sed etiam possunt absolvi a casibus suo superiori regulari reservatis, ut apud Nicolium in Flosculis, verb. *Jubilæum*, num. 6, declaravit sac. congreg. Episcop. et Regularium 19 aprilis 1583, et Alexander VII, die 14 maii 1655, in suo brevi incip. *Unigenitus*, et sic antea declarasse Gregorium XIII, testatur Peyrin. de privileg. Regul. t. III, cap. 4, num. 3, pag. 1324, et Murga in tract. de Benefic. Ecclesiast., qu. 2, n. 121, pag. 44.

(5. Confessarius eligendus tempore Jubilæi debet esse approbatus ab ordinario loci, seu ipsius confessarii, non autem ab ordinario pœnitentis. Ita sacra congregatio Concilii interpretando bullam Jubilæi, et ex ejus sententia Sanctissimus declaravit bullam esse intelligendam de ordinariis eorum qui audiunt confessiones, non autem de ordinariis pœnitentium. Sic refert Fagnan. lib. V Decretal. in cap. *Ne pro dilatione* 16, de Pœnit. et Remission., n. 19. (6. Unde regulares, ut absolvantur a reservatis virtute Jubilæi, probabiliter non possunt eligere confessarium approbatum a solo suo prælato regulari: Suarez, Reginald. Vega, Lugo cum La Croix loc. cit., num. 1463; Filliuc., Lezana, Bossius, Henric., Faustus et alii cum Viva de Jubilæo, qu. 9, art. 1, n. 3; Pontius dis. 46, qu. 10, conclus. 5, n. 138; Barbosa super Concil. Trid. sess. 23, cap. 15. Quilici quæst. 5, art. 4; Matthæucci Cautela Confessarii lib. I, cap. 9, num. 8, et alii. Et ratio est quia per *ordinarios locorum*, a quibus jubiles confessarii debent esse approbati secundum bullam Jubilæi, ibi: *Ex approbatis a locorum ordinariis*, in communi sensu intelliguntur episcopi; et secundum sacram Rotam Romanam part. XI, dec. 23, n. 8, et part. XIX, tom. I, decis. 69, n. 13, rigore ordinarii nomen soli episcopo spectat seu convenit, non autem inferiori. (7. Opposita tamen sententia non caret sua vera probabilitate,

eamque tutam in praxi vocat Gobat in Quinario, tract. 3, de Jubilæo, num. 229, et probabilissimam et in praxi tutam appellat Sylvius Resol. variar. verb. *Jubilæum* 1, quem sequitur Pontas verb. *Jubilæum*, cas. 7, et tenent Sanctarellus, Coriolanus, Rodriquez, Bonacina apud Pasqualigum qu. 208; Diana part. v, tract. 12, resol. 37, et alii dicentes sufficere si confessarius sit approbatus a solo suo proprio prælato regulari, quia prælatus regularis est vere ordinarius suorum subditorum habens in illos jurisdictionem ordinariam, et, ut dicit Rota part. xiii, decis. 54, num. 15, appellatione ordinariorum veniunt omnes qui exercent jurisdictionem ordinariam quasi episcopalem. Tum quia « Favorabilem interpretationem non recipit, quæ eum cui favetur lædere possit, » favente aperte regula 61 Juris in 6, quæ sic expresse habet: *Quod in gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum.* Bulla autem Jubilæi plurimum læderet regulares multos, si præter suum morem cogentur quærere confessarium ab ordinario loci approbatum, et forte illum quærere extra suum conventum.

(8. Moniales tempore Jubilæi non possunt eligere confessarium non approbatum in specie ad audiendas monialium confessiones; deducitur ex constitut. Greg. XV incip. *Inscrutabili*, et constitutione Clementis X incip. *Superna*; ubi declaratur confessarios approbatos generaliter ad audiendas confessiones sæcularium non posse audire confessiones monialium sine speciali approbatione pro ipsis. Et hoc etiam clare habetur ex declaratione sac. congregationis missa ad episcopum Abulensem anno 1593, et relata ab Arauxo in select. tract. 1, sect. 3, num. 15, et a Cajetano de Alexandris in Confessario monialium, c. 6, § 13, q. 6, in qua habetur quod approbatus ad audiendas confessiones certi generis personarum, vel in certa ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde quod non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas confessiones aliarum personarum, aut extra Ecclesias sibi designatas, et sic tanto minus ad audiendas confessiones monialium sine specifica approbatione pro ipsis: Viva de Jubilæo, q. 9, art. 2; Molfesius, Pellizarius, Alphonsus de Leon., Faustus cum Cajetano de Alexandris loc. cit.; Matthæucci Official. Curie, cap. 13, quoad confessarios monialium, num. 10; Felix Potestas tom. 1, part. II, num. 1423; Lantusca verb. *Jubilæum*, num. 2; La Croix lib. vi, part. II, num. 1467; Quilici Confessar. Manuduct., quæst. 1, artic. 1, num. 12; Polachus, Caspensis, et alii. (9. Imo neque confessarius approbatus pro uno monasterio potest tempore Jubilæi eligi a monialibus distincti monasterii, ut colligitur ex cit. constitut. Clementis X incip. *Superna*, in qua, ut jam declaraverat sac. congreg. Conc. super constitut. Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, in responsione ad nonum, dicitur præcise: « Atque approbatus pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii

minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. » Matthæucci loc. cit., num. 10; Viva loc. cit., sub num. 1, et alii. Vide verb. *Approbatio*, art. 3, a num. 5 ad 12, et verb. *Bulla Cruciatæ*, num. 12.

(10. Non desunt tamen qui defendant absolute contrarium, ut Peyrius t. III, cap. 3, num. 4, pag. 323; Bonacina de Sacramentis, disp. 5, q. 7, n. 22; Bossius sect. 2, punct. 4; Pasqualigum de Jubilæo, q. 210; Portell. et Summa Dianæ verb. *Jubilæum*, num. 20, et alii, volentes quod etiam moniales tempore Jubilæi possint eligere quemcumque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum. Et ratio eorum est quia bulla Jubilæi permittit omnibus utriusque sexus fidelibus etiam regularibus, quod possint eligere confessarium approbatum ab ordinario locorum absolute, adeoque non apparet ulla ratio cur requiratur specialis approbatio pro monialibus. Et confirmant ex constit. Urbani VIII incip. *Pontificia sollicitudo*, in qua pro Jubilæo anni 1623 expresse concessit monialibus quod possint eligere quemcumque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum, quod et concessit Innocentius X pro Jubilæo anni 1650, ut refert Pasqualigum loc. cit., et ad constitutiones Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, et Clementis X incip. *Superna*; et ad decreta sacre congregationis, in quibus declaratur confessarios approbatos generaliter ad audiendas confessiones sæcularium non posse audire confessiones monialium sine speciali approbatione pro ipsis, respondent supradicti doctores id verum esse extra Jubilæum, non vero tempore Jubilæi, pro quo Pontifices solent concedere etiam monialibus quod possint eligere quemcumque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum.

(11. At non sunt isti audiendi nec sequendi, nisi aliter a Sancta Sede statuatur aut declaretur, quia supradicti Pontifices in citatis constitutionibus non dicunt absolute ut sanctimoniales possint eligere confessarios quoscumque ex approbatis ab ordinariis locorum, sed expresse additur: *Ab eisdem ordinariis locorum ad id approbatus*, id est, ut explicant doctores, ad munus sanctimonialium confessiones excipiendi probatos. Et quamvis in Jubilæis extraordinariis pro omnibus concessis soleat concedi generaliter et absolute pro omnibus etiam regularibus utriusque sexus facultas eligendi quemcumque confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum, tamen adhuc propter supra adducta dicendum est non posse moniales eligere nisi confessarios specialiter approbatos pro ipsis, quia ex regula 81 Juris in 6, *in generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

(12. Debent autem ordinarii tempore Jubilæi approbare plures confessarios, sive sæculares, sive regulares, quos moniales ipsæ exoptaverint, ut eos possint moniales pro majori suo spirituali solamine eligere pro Jubilæo lucrando juxta intentum Pontificis, ut decrevit sac. congregat. Episcopo-

rum et Regul. 24 Martii 1634, apud Lantusca verb. *Jubilæum*, sub num. 1.

(13. Confessarius approbatus limitate pro solis viris non potest tempore Jubilæi eligi a mulieribus; ita confessarius approbatus pro solis rusticis non potest eligi a civibus, sic etiam approbatus limitate pro uno tantum loco non potest eligi extra illum locum. Sic expresse habetur ex declaratione sacre congregationis missa ad episcopum Abulensem anno 1593, relata supra sub n. 8; et tenent Filliucius tract. 7, cap. 9, num. 262; Diana part. v, tract. 12, res. 48; Gobat de Jubilæo, cap. 31, n. 232; Viva de Jubilæo, quæst. 9, art. 2, n. 4; Bossius sect. 3, cas. 2; Trullench., Suarez, Rodriquez, Villalobos, Homobonus, Bordon., Tamburin., Lugo, cum La Croix lib. vi, part. II, num. 1467, contra alios. (14. Nec tempore Jubilæi potest eligi confessarius complex seu socius criminis, ubi id per legem diœcesanam seu episcopi prohibetur, quia ibi relate ad complexem non habet confessarius approbationem, cum episcopus talem confessarium non approbet, imo positive reprobet respective ad suum complicem seu socium sui criminis: Bonacina de Sacramentis, qu. 7, punct. 5, § 5, n. 10; Moron. res. 98; Aversa q. 17, sect. 6; Viva q. 11, art. 3, num. 4; Bellegambe q. 5 et 6; La Croix loc. cit., n. 1468, et alii, contra Bossium, Pasqualig., Dicastil., et alios putantes non ideo tolli vel impediri jurisdictionem a Papa concessam. Vide verb. *Complex peccati*, num. 1 et 2, et infra n. 71.

(15. Nec potest extra necessitatem extremam pro confessario eligi excommunicatus, suspensus, irregularis, et tanto minus depositus et degradatus, quamvis antea fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata, ut recte dicit La Croix loc. cit., n. 1468.

(16. Confessariis vi Jubilæi electis solet concedi quadruplex facultas. 1. absolvendi a quibuscumque censuris; 2. absolvendi a quibuscumque peccatis; 3. commutandi Vota; 4. commutandi opera præscripta. *Communis*, ut patet expresse ex verbis bullæ pro Jubilæo edi solitæ. (17. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolvendi a quibuscumque censuris, potest absolvere a quibuslibet censuris, sive a jure, sive ab homine quovis modo et causa latis, etiam locorum ordinariis, seu Papæ et Sedi Apostolicæ, etiam in bulla *Cenæ* contentis, et alias quomodocumque reservatis, ut habetur expresse ex verbis bullæ pro Jubilæo edi solitæ, ibi: « Sibi eligere possunt confessarium tam sæcularem, etc., qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, ac censuris a jure vel ab homine, quovis modo et causa latis seu inflictis, necnon ab omnibus criminibus, quantumvis enormibus, etiam locorum ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die *Cenæ Domini* legi solitis, contentis, et alias quomodocumque reservatis, in foro conscientie tantum, et hac vice absolvere et liberare valeant. » (18. Ratione tam amplæ facultatis absolvendi ab omnibus censuris etiam in

bullæ Cenæ, et quomodocumque reservatis, potest confessarius jubilaris probabilis absolvere etiam a censura hæresis, nisi hæc expresse excipiat. Sic fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria anno 1617, occasione Jubilæi a Paulo V concessi, et servari in praxi refert Filliucius tract. 8, de Jubilæo, cap. 10, num. 265, et tenet Zerola part. IV, Praxis Episc. verb. *Absolutio*, qu. 8, conclus. 4; Corduba in Summa, quæst. 8; Lugo disp. 23, de Fide, num. 102; Gobat tract. 3, de Jubilæo, cap. 33, num. 248; Azorius part. I, lib. VIII, quæst. 12; Sanctarell. cap. 8, dub. 3; Reiffenst. Theol. moral., tract. 12, dist. 3, qu. 9, n. 129 et sequent.; La Croix lib. VI, part. II, n. 1451; Sotus, Reginaldus, Fagundes, Bossius, et alii plurimi. Et ratio est quia, cum compertum sit plurimos graves doctores defendere hanc sententiam, et in praxi a plurimis confessariis hanc opinionem sequentibus conferri tempore Jubilæi absolutionem ab hæresi, si Pontifex vellet illam excipere, exciperet expresse: arg. c. *Inter corporalia* 2, de transl. Episcop., § *Sed neque istud*, ibi: *Unde si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, de translatione poterat expressisse*; et cap. *Quia circa* 22, de privilegiis, ibi: *Cum nihil exceperit, et potuerit exceperisse*. Sicuti de facto jam fecerunt alii Pontifices quando voluerunt crimen hæresis esse exceptum. Ergo cum id non exprimit, signum est quod vult amplissimam conferre facultatem absolvendi ab omnibus omnino reservatis; id enim congruit fini concessionis, ut scilicet possit quilibet Christifidelis Jubilæum lucrari, inter quos Christifideles verè numeratur lapsus in hæresim, et de hac vere pœnitens, et contritus, adeoque non apparet ratio cur is solus de mente Pontificis non possit fieri particeps Jubilæi, nisi expresse excipiat. Tum quia beneficia principum nulli tertio præjudicantia sunt largissime interpretanda: cap. *Olim*, de Verb. Signif., et ex regula 15 juris in 6, *Odia restringi, et favores convenit ampliari*.

(19. Plurimi tamen alii cum Barbosa de Offic., et potest. episcop. part. II, allegat. 40, num. 32, et novissime doctissimi P. Viva de Jubilæo, q. 11, art. 1, tenent oppositum. Imo Barbosa, loc. cit., refert ex aliis sic fuisse declaratum per aliquos Romanos Pontifices. Quæ declarationes, si vere emanassent, non esset locus dandus nostræ sententiæ, nisi dici posset quod dictæ declarationes emanassent a Pontificibus circa proprias suas bullas, aut quod ipsæ restringerentur intra limites Hispaniæ, aliorumque locorum ubi viget officium sanctæ inquisitionis, ad ejus instantiam dictæ declarationes emanaverint, ut patet ex verbis decreti relati a Diana part. I, tract. 3, resol. 1. Ad quod facit responsio sacre Pœnitentiariæ a Filliucio supra adducta, quæ, si revera emanassent pro omnibus locis dictæ pontificiæ declarationes, non potuissent ipsa sic respondere.

(20. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolvendi a quibuscun-

que peccatis, potest absolvere ab omnibus peccatis Sedi Apostolicæ etiam in bulla *Cæne*, aut alias quomodocunque reservatis, et etiam a reservatis episcopo. Ita patet ex verbis bullæ Jubilæi adductis supra sub num. 17. (21. Imo a reservatis episcopo potest absolvere, etiamsi id non exprimat, cum in Jubilæo facultas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ ferat facultatem absolvendi a reservatis ordinariis locorum. Sic *communissima doctorum*, cum Suarez disp. 7, de Censuris, c. 5; Viva de Jubilæo, qu. 11, art. 2; Diana part. III, tract. 4, resol. 149; La Croix loc. cit., num. 1451. (22. A confessario jubilari potest etiam absolvi qui spe Jubilæi commisit reservatum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur. Sic *communissima doctorum*, cum Viva loc. cit., art. 3, num. 1; La Croix loc. cit., num. 1451; Navarr., Bossio, Filliuc., Suarez, Sanchez, et alii passim. Ac idem sub aliis terminis est, dum dicitur quod qui peccat peccato reservato in confidentiam Jubilæi, potest virtute Jubilæi absolvi, peccare autem in confidentiam Jubilæi est, quod notitia Jubilæi influat in peccatum, seu sit ejus causa, quatenus seclusa Jubilæi notitia, et spe facilis absolutionis reservatum non patratum fuisset; is, inquam, virtute Jubilæi absolvi potest, si vere doleat, et nisi expresse in confidentiam Jubilæi commissum excipiantur a bulla. Nec obstat quod cap. *Quando*, de Consecrat., dist. 4, dicatur quod peccans spe veniæ debeat subesse pœnæ, et non obtinere veniam; nam ibi, ut notat glossa, sensus est multoties sic peccantes puniri a Deo, ita ut non perveniant ad tempus veniæ obtinendæ. (23. Virtute Jubilæi potest quilibet absolvi, non solum a commissis ante publicationem Jubilæi, sed etiam a reservatis post Jubilæi publicationem commissis, quia in bulla Jubilæi datur amplissima facultas absolvendi a reservatis pro toto tempore Jubilæi; nec limitatur ad commissum, hoc vel illo tempore. Sic *communis* cum Viva loc. cit., num. 2; Sanch. lib. IV, c. 54, n. 26, ubi dicit quod potest quilibet toties absolvi quoties in reservata incidit ante elapsum Jubilæi tempus. (24. Imo etiamsi quis in prima hebdomada jam lucratus sit Jubilæum, si secunda hebdomada incidat in reservatum vel censuram, potest ab his absolvi, saltem si præscripta opera repetat: Diana, Navarr., Rodriguez, Henriquez, Reginald., Leo, Gobat, cum La Croix loc. cit., num. 1450; Viva loc. cit., n. 3. Quod etiam tenent Castropal., Dicastill., et alii, quamvis dicant eundem non posse bis lucrari Jubilæum, cum validitas absolutionis non pendeat absolute ab indulgentia. Insuper posse absolvi, quamvis non repetat opera præscripta docent Rodriguez, Sa, Diana, Lothar et alii; quod probabile esse dicunt Graff, Bonac., Castropal., Dicastill., et alii: Verba enim illa *pro hac vice tantum* in bulla Jubilæi apponi solita non referuntur ad actum absolvendi, sed ad tempus Jubilæi, id est pro tempore hujus Jubilæi tantum, ut recte notant Viva loc. cit., num. 2; Bossius apud ipsum qu. 6, artic. ult., sub num. 2,

vers. *Ad tertiam*; La Croix loc. cit., n. 3450, et alii.

(25. Idem Jubilæum ad duas hebdomadas concessum, potest probabiliter bis obtineri, si repetantur opera præscripta. Sanctarell. de Jubilæo, c. 5, dub. 4; Navarr. de Jubilæo, notabil. 32, n. 46; Reginald. n. 155; Lezana in Summa, verb. *Jubilæum*, num. 20; Henric. de Indulgentiis, lib. VII, c. 11, num. 1; Rodriguez, in Summa, capit. 184, num. 14; Benzoni lib. V, cap. 15, dub. 25; Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 14, num. 92 et sequent.; Diana part. II, tr. 17, resol. 49, et part. V, tract. 12, resolut. 28, cum aliis ibi relatis; Viva q. 6, art. ult., n. 2, cum aliis, Arsdekin. tom. II, p. 141, cum pluribus ibi citatis, et novissime cum aliis Pontas in suo Dictionario, verb. *Jubilæum*, cas. 17, et alii plures. Et ratio est quia, ut dicitur in cap. *Olim* 16, de Verbor. signific. *Beneficia principum sunt interpretanda largissime*, quod est desumptum ex l. *Beneficium*, ff. de Constit. Princip., ubi dicitur: *Beneficium imperatoris, quod a divina ejus scilicet indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus*; et cap. *Odia* 15, de Regul. Juris in 6, expresse dicitur: *Favores convenit ampliari*, ergo quoties non limitatur ad unam tantum vicem expresse, potest quis indulgentiam indefinite concessam toties lucrari quoties opera præscripta repetit, et sic de indulgentia Jubilæi Anni Sancti fuit declaratum ab Urbano VIII, ut diximus art. antecedenti, n. 24. Tum quia in l. *Ea que* 152, § 1, ff. de Reg. Juris, sic expresse habetur: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est quam tutius*.

(26. Fateor tamen quod est æque probabilis appositae sententiæ, quam docent Sanchez lib. IV, c. 54; Suar. disp. 57, sect. 1; Reiffenst. Theol. Moral., tract. 12, dist. 3, qu. 9, n. 120; Felix Potestas tom. I, part. IV, n. 3826; Busebaum lib. VI, tract. 4, c. 1, dub. 4; Faustus, Layman, Bonacina, et alii apud Bossium sect. 2, cas. 40; Sannig. l. V Decret. tit. de Pœnitent. et Remiss., c. 2, n. 15, et alii plures, innixi verbis Bullæ, quæ solet uti clausula disjunctiva, *Qui prima vel secunda hebdomada*, etc.; et infra: *Alterius ex duabus hebdomadis*, adeoque inferunt ipsi, non nisi disjunctive poterit Jubilæum obtineri prima vel secunda hebdomada, et non bis, seu copulative in utraque. Imo Filliucius tom. I, tract. 8, c. 16, n. 261 et 278, refert sacram congregationem Concilii et Clementem VIII declarasse semel tantum sumi posse Jubilæum, tam in Anno Sancto quam in aliis, et semel tantum quempiam posse a reservatis absolvi. Quæ declaratio, si revera emanasset, et de ea constaret authentice, non esset recedendum ab hac opinione. At quia, ut notant Diana, Gobat, Viva et alii, de ea non constat authentice, imo de Jubilæo Anni Sancti habetur declaratum oppositum ab Urbano VIII posteriore dicto Clemente VIII, quod nempe toties possit obtineri quoties repetuntur opera præscripta, ideo adhuc sistit in suo robore nostra con-

clusio tot doctoribus et rationibus munita.

(27. Absolutus vi Jubilæi a peccatis quorum meminit, si ex oblivione et inculpabiliter omisit confiteri peccatum reservatum, vel censuratum, potest transacto Jubilæo ejus absolutionem obtinere a quolibet simplici confessario; Sanchez, Filliucius, Portell., Diana, Pellizarius, Castropal., Dicastill. Bellegambe cum La Croix lib. VI, part. II, n. 1449; Covarruv., Coninch., Ledesma, Navarr. Reginald., Arriaga, Lessius, Tamburin., Lugo, Herinex, Gobat, cum eodem La Croix lib. VI, part. II, num. 1695; Reiffenst. loc. cit. num. 125; Sannig. loc. cit., num. 17; Viva de Jubilæo, quæst. 11, art. 3, num. 2, cum Silvestr., Gabriele, Sa, Diana, et aliis ibi citatis. Et ratio est quia confessarius censetur conferre absolutionem quoad ejus fieri potest: unde, quia tempore Jubilæi potest reservationem obliturum tollere de facto, et absolute illam tollit, et consequenter transacto Jubilæo ab illis potest absolvere quilibet simplex confessarius. (28. Bona fide confessus tempore Jubilæi, et ex invincibili defectu doloris vel propositi invalide absolutus, si cætera præscripta impleverit, remanet probabiliter immunis a reservatione peccatorum et censurarum, ita ut post Jubilæum possit a quolibet simplici confessario absolvi. Sic Lugo disp. 20, n. 110; Dicastill. d. 11, num. 124; Herinex d. 7, num. 26; Coninch d. 8, de Pœnitent. num. 92; Henric. lib. VII, cap. 11; Viva qu. 11, art. ultim.; Comitulus, et alii apud Dianam par. II, tract. 11, resolut. 18, contra Bossium sect. 1, cas. 35; Rodrig., Faustum, Reginaldum et alios plures. Et ratio nostra est, quia confessarius absolvendo voluit facere quantum potuit; reservatio autem potest tolli, non sublatis peccatis. Imo Lugo disp. 20, de pœnit. n. 113; Cajetan., Zacch., Henric., et alii relati a La Croix lib. VI, part. II, n. 1449, dicunt auferri reservationem, quamvis ipse sacrilege ex malitia fuerit confessus, dummodo habuerit animum faciendi deinde confessionem validam et lucrandi Jubilæum; quod probabile censent Bonacina et Diana apud La Croix loc. cit. Et ratio istorum est, quia extra confessionem etiam a delegato confessario tolli potest reservatio ex vi potestatis quam delegavit superior. Unde, quamvis confessio fuerit sacrilega et malitiose invalida, et nulla quoad absolutionem a peccatis, adhuc tamen fuit sublata reservatio, quia satisfecit legi ecclesiasticæ reservationis, exponendo peccata reservata habenti potestatem in illa, et volenti saltem implicite et virtualiter tollere illam reservationem, cum voluerit facere quidquid potuit, et consequenter cum ratione delegationis sibi factæ pro tempore Jubilæi potuerit tollere reservationem, volendo facere quidquid potuit, de facto illam abstulit.

(29. Probabilius tamen dicendum est non tolli reservationem per confessionem sacrilegam, et malitiose nullam, quia fraus non debet alicui prodere: cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, de Rescriptis; cap. *Tuæ* 12,

de Cleric. non resid.; cap. *Ex litteris* 2, de Dolo et Contumac., ubi expresse sic dicitur: *Nos attendentes malitiam et dolum nulli patrocinari debere*. Nec debet quis lucrum a sacrilegio reportare, arg. cap. *Propositum* 1, de eo qui duxit in matrimonium quam poluit, ubi sic expresse habetur: *Nec dignum est ut prædictus vir, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet*. Tum quia aliquid concedens generaliter, non censetur concedere id quod negaret, si specialiter rogaretur; cap. *In generali* 82, de Regulis juris in 6, ibi: *In generali concessionem non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*. Unde Papa hoc negaret tali sacrilego, si rogaretur, sicuti negat potestatem implendi præceptum de annuali confessione per confessionem voluntarie nullam, ut patet ex propositione 14 in ordine inter damnatas ab Alexand. VII, 14 septemb. 1663, ibi: *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Et sicut negat potestatem implendi præceptum paschale per sacrilegam communionem, ut patet ex propositione 55 in ordine inter damnatas ab Innocentio XI, 2 martii 1679, ibi: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, adeoque concludendum est probabilius non tolli reservationem per sacrilegam confessionem quam voluntarie quis facit tempore Jubilæi eo fine ut a suis peccatis et censuris reservatio auferatur; Viva q. 11, art. ult., num. 2; La Croix loc. cit., num. 1473, et alii plures.

(30. Qui animo adimplendi omnia pro Jubilæo fuit absolutus a reservatis, valide remanet absolutus, nec reincidit in reservationem vel censuram, quamvis postea etiam ex negligentia seu pigritia opera præscripta non impleat, et sic Jubilæum non lucretur, *Communissima* cum Navarr., Henric., Laym., Platel., Bellegambe, qu. 4; Viva art. 5, num. 1; La Croix loc. cit., num. 1448. Et ratio est, quia absolutio ejusmodi fuit data omnino absolute, non autem sub conditione de futuro, adeoque semel habita, simpliciter, et semper tenet. (31. An autem, et qualiter peccet, qui post obtentam absolutionem a reservatis, mutat propositum, et non vult alia opera præscripta implere, et Jubilæum lucrari? Quamvis omnes doctores conveniant quod peccet, variant tamen an venialiter vel mortaliter. Et quidem Suarez disp. 31, de Pœnitentia, sect. 4, n. 5; Aversa q. 17, sect. 8; Viva qu. 11, art. 5, n. 2, cum Vasquez, et Filliucio dicunt talem peccare mortaliter, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi, cum videatur intervenire quoddam tacitum pactum inter Pontificem et pœnitentem, ita scilicet ut Pontifex concedat hujusmodi media, et pœnitens acceptet obligando se ad ponendum finem. Econtra Henriquez, Sanchez, Bonacina, Lugo, Portell., Castrop., Bellegambe, apud La Croix loc. cit., num. 1448; Gobat in Quinario tract. 3, num. 262; Reiffenstuel Theol. moral., tract. 12, d. 3, num. 105, et alii probabilius esse censent quod talis non peccet mortaliter,